

nunc ab his Libri XI. c. 17. verbis: *quid aliud quam profunda de tenebris reuelantur*, quae in edit. *Mauriana Paris. 1705. T. I. col. 376.* extant, usque ad verba Libri XVI. c. 42. *Ille enim in flagello positus a salute corporis* — edit. *cit. col. 520.* Initia Librorum caractere grandi conspicua sunt; scriptura tamen versus finem aliquantum variat. Lectio plerumque cum editis conspirat; nihilominus est, ubi discrepet. Ita initio L. XIII. edita: *dum hereticos vel quoslibet reprobos, quos corrigere non valet, tolerat* &c. noster: *cum hereticorum uel quorumlibet reproborum peruersitatem corrigere non ualens tolerat* &c. L. XIV. sub finem edita: *veram certitudinem praesumpsit*, noster *vera certitudine.* Editi: *hoc timendum sciret*, noster, *timendo sciret*; melius puto, si cum sequentibus conferatur.

CCLXV. VIII. 2. 6.

²⁶⁷ Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 116. f. corrente calamo per duas columnas exaratus et olim *Fratri* cujusdam *Marckwardi* continet *Gregorii M. Homilias XL. in Evangelia*, quae extant edit. *Maur. T. I. Paris. 1705. p. 1434.* in quas sequentia observo. Praeit Epistola, *Reverendissimo et sanctissimo fratri Secundino* (Tauromenitano Sicil.) *Coepiscopo Gregorius seruus seruorum dei. Inter sacra missarum solempnia* &c. ut in edit. Accedit sequens Nota: *Beatus*

Gregorius staciones per basilicas uel beatorum martyrum cymiteria per que haecenus plebs romana quasi eo viuento certatim discurret, sollicitus ordinauit, per quas et ipse similiter discurrens, dum adhuc loqui ualeret, XX omelias ewangelij coram ecclesia diuerso tempore declamauit, reliquas uero eiusdem numeri dictauit quidem sed laceffcente stomacho langwore continuo, alijs pronuncianda commisit. Sequitur *Homilia*, cujus Auctorem non facile nominarim. Initium ejus est: *Omnes sancti Ewangelij fratres karissimi textus usque ad iota unum uel unum apicem mistico est inuolutus enigmate* &c. *Gregorii* non esse, uel *Nota* praecedens evincit, quae *Homilias* numerat, ut in editis, *quadragenta*, cum tamen haec *quadragesima prima* fit. Versatur ea in exponendo *Ewangelio Luc. XIX. Homo quidam nobilis abiit* &c. et ut alia desint argumenta, vel stilius ipse *Gregorio* recentiore *Ομιλιων* arguit. Ita paullo post principium: *spiritus sancti iuamine fretus sagenulam mei spiritus australibus nullo modo committere pertimesco spiraculis* &c. Finis: *largiente domino succincte decursimus.* Ab hac *Homilia Gregoriana* usque ad finem decurrunt, eo solum ab impressis discrimine, quod, et quidem rectius, *Decima octava Decimam nonam* et *Vicesima secunda Vicesimam quintam* sequatur; Finis uero *Undecimae* cum *Duodecimae* initio e *Cod.* deperditus fit. Lektionis uarietas non deest. Ita

Hom.

Hom. I. contra gentem pro supergentem, in nostris tribulacionibus pro temporibus, quod modo pro nos modo &c. legit Noster.

II. fol. 77. *Incipiunt capitula libri pastoralis Gregorij pape urbis Rome.* Index hic non concordat cum impresso T. II. edit. suprac. p. 1. Integrum tamen est Opus, licet in partes non distribuatur. Initium: *Pastoralis cure me pondera fugere &c.* Finis: *tui me meriti manus leuet.*

CCLXVI. VII. 20.

258 Codex partim membraneus, partim chartaceus lat. Sec. XIV. Folior. 141. f. per duas columnas nitide scriptus, rubricisque distinctus continet: I. *Gregorii dicti Magni Pont. Rom. Epistolas* numero CCCIV. si quaedam, quae *Mauriani* Editores in *Append. T. II. Paris. 1705.* rejecerunt, et *Narrationes de Diluvio et Peste Romana, Litaniarumque* institutione ex *Vita Gregorii per Paulum, Johannemque Diacc.* scripta excerptas, quae extant T. IV. praedictae *Edit. accenseas.* Epistolae hae, quod absque omni in libros distributione, aut ordine decurrant, laboriose cum editis *Maurianis* collatae, paucis exceptis, quae ex *Libris prioribus* petendae erant, intra *Libros VIII—XIV.* continentur. Initio Codicis earum, sed non omnium, praecedit *Summarium* inscriptum: *Incipiunt Capitula libri Registri.* Epistola I. quae *Maurianis L. VIII. prima* est,

perperam titulum gerit: *Anastasio Episcopo anthiochie,* cum scribendum fuerit: *Petro Episcopo Corsicae,* et in univsum multis mendis scætet Codex. Ita fol. 33. *Epist. nobis XCI. Maur. L. III. 64. pro Mevaniensis Ecclesiae* legit *iuuuiensis.* Epistolae nobis fol. 104. ultimae, *Maur. L. IX. 52. ultimam tantum partem* exhibet, in qua egregius ille de *fin-cero Imaginum cultu locus,* quem a multis *Exemplaribus* abesse Editores illi testantur, continetur, hoc initio: *Imagines, quas tibi dirigendas per Dulcidum (Dulcidium?) rogasti &c.* Nihil in eo de duabus *Surtariis* vel *Scutariis,* sed sic proceditur: *Ideoque direximus tibi ymaginem saluatoris, et sancte dei genitricis et beatorum petri et pauli &c.* Ad calcem harum *Epistolarum* adtextum est *Bonifacii Papae IV. Decretum* Synodi promulgatum in *Concilio Rom. III. Kal. Mart. anno Chr. DCX.* hac rubrica: *Ex concilio sancti Bonifacij pape, qui quartus fuit a beato Gregorio papa.* Statuitur eo: *Licere Monachis in officio sacerdotali ministrare.* Adtextum hic credo, quod a *Gregorii* Monachatu argumentum pro assertione ducatur. Initium est: *Quia uero liceat monachis cum sacerdotali officio ministrare, sunt nonnulli fulti nullo dogmate &c.* Extat in *Collect. Holsteniana* p. 242. in *Collect. Concil. Labb. T. VI. edit. Venet. col. 1355. Harduin. T. III. col. 543.* et in *Praef. ad Sec. I. Aët. Ord. S. Bened. n. 94.* et quam